



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad  
Dominicam Septuagesimæ

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Die 8. Decembris. In Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis. Conceptio sine  
macula, non potest verè coli cum macula. Vel sic. Prævaricatorem esse  
oportet qui Conceptionem sine macula, colat cum macula.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44194**

Die 8.  
Decemb.

IN FESTO  
CONCEPTIONIS  
B. MARIÆ VIRGINIS.

*Totu[m] pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4.*

VERITAS PRACTICA.

Conceptio sine macula non potest verè coli-  
cum macula.

VEL SIC

Prævaricatorem esse oportet, qui Conceptio-  
nem sine macula, colat cum macula.

**SENSVS** est, quod quisquis aliquam in se agno-  
scit peccati seu depravati affectus maculam,  
quam non velit deponere, non potest verè cole-  
re Conceptionem Beatissima Virginis, sicut ho-  
die colenda proponitur sine ulla peccati macu-  
la: aut si hanc colat cum macula, prævaricator  
si reputandus, juxta illud Davidis, Præva-  
cantes reputavi omnes peccatores terræ.

**RATIO EST.**, Qui prævaricator is dicitur qui  
contra id agit quod profitetur.  
Sed qui colendo Conceptionem sine macula, non  
vult deponere quam in se agnoscat maculam,  
contra id agit quod profitetur.  
Ergo cum prævaricatorem esse oportet; aut ne tam  
infamia se insciat nomine, deponat maculam,  
quisquis conceptam sine macula velit colere  
Beatam Virginem.

I. PUNCTUM.

UOD piè creditur, & quod co-  
lendum hodiè proponitur de  
Conceptione Beatissimæ Virgi-  
nis, sic breviter habe & contem-  
plare. Illo ipso primo instanti,  
quo creata ejus anima infun-  
denda erat formato corpori, in utero beatæ  
Annae Matris, atque ut ceteræ animæ, in origi-  
nale peccatum jam iam lapsa erat; prævenit

Deus hunc letalem lapsum, & Gratiâ sanctifi-  
cante quæ cum tali peccato repugnat, ita illam  
animam præmunivit, ut sancta simul ac conce-  
pta fuerit, unde ejus Conceptio dicitur immacu-  
lata, id est absque ulla protius peccati macula;  
unde illi hæc ex Canticis, & sacris Psalmis ab Ec-  
clesia concinuntur: *Tota pulchra es amica mea,* Cant. 4.  
*& macula non est in te;* ibid. 6.  
*Quam pulchri sunt* gressus tui in calceamentu[m], *filia principis;* Id est in  
ipso primo exortu. *Sanctificavit tabernaculum* Ps. 43.  
*suum altissimum:* Deus in medio ejus non commo-  
vebitur: adiuvabit eam Deus mane diluculo. Ve-  
nite & videte opera Domini, que posuit prodigia  
super terram: auferens bellum usque ad finem terre:  
*Arcum conteret & confringet arma,* Id est nulla  
erit repugnantia carnis cum spiritu, quandoquidem  
nullum est peccatum, quod est origo & fo-  
mes talis repugnantie, *Quæ est ista terra,* inquit  
Richardus Victorinus, *de qua bella omnia anfe-  
runtur, nisi illa de qua Idem Propheta, veritas de  
terra orta est.* *Cateris sanctis præcipitur,* ut in  
mortali eorum corpore peccatum non regnet, *soli*  
*virgini singulariter datur, ut mortale corpus ejus*  
*peccatum non inhabet.*

His & similibus aliis cogitationibus & affe-  
ctionibus immaculatum hunc Beatissimæ Vir-  
ginis Ortum saluta, venerare, & omni pietatis  
officio prosequere. Et verò id dignè & ve[n]e[n]u-  
quam facies, nisi quam noris in te peccati macu-  
lam, hodie studeas eluere, & omnino deponere.  
Neque enim Conceptio sine macula, potest verè coli-  
cum macula. Prævaricantes sunt quidem  
omnes peccatores, sed hi tales maximè repu-  
tandi, qui cum voluntariâ peccati macula, im-  
maculatam Sanctissimæ Virginis Conceptionem se colere profitantur.

Ratio quæ affectur est facilis, dum semel benè  
intelligatur quid sit prævaricari, seu esse præva-  
ricatorem; Id autem Scriptura fatis aperte de-  
clarat,

Lib. de  
Emma-  
nuele.



*Ecclesiast. 7* clarat, cum ait: *Noli pravaricari in amicum*, Id est noli quidquam committere, quo videaris non esse eius amicus, cuius tamen amicum proferis, *I. 43.* Et alibi: *Interpretes tui pravaricati sunt in me*, id est, cum prae se ferrent explicare legem, aliter interpretati sunt ac explicanda erat: vel suis ipsis operibus destruxerunt, quod astriuebaat interpretando legem, cum alter viverent, quam vivendum ex lege scirent. Sic aperte Apostolus: *Sic quia destruxi, iterum huc adficio, pravaricatum me constituo*. Ex quibus manifeste patet pravaricatorem cum dici, qui aliud agit, & aliud profiteretur. Quod est valde proborum.

*De Symbole ad Catec.* *De prehenderis & detegere Christiane*, inquit sanctus Augustinus, quando aliud agit, & alia profiteris.

## II. P U N C T U M.

**S**ED qui colendo Conceptionem sine macula, non vult deponere quam in se agnoscit peccati maculam, contra id quod agit profiteretur, seu aliud agit & aliud profiteretur.

Quid est enim colere Conceptionem sine macula, quam profiteri, & prae se ferre quod esse sine macula, sit tam magnum, tam laudabile, tamque divinum, ut estimetur a nobis religiosè colendum & celebrandum? Et certè ita est, nulla pax dignitas, nullæ divitiae, nullus honor aut gloria, nullum denique creatum bonum potest ventre in comparationem immaculatae animæ. Nam si de sapientia sic Sapiens loquitur, *Sap. 7.* præposui illam regni & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius: nee comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum estimabitur argentinum in conspectu illius: Quantò id magis verum de Gratia, cuius minimus gradus tanto supra sapientiam & omnia creata bona præminet, quantò ipsa sapientia cæteris præstar bonis.

Sic aperte Ecclesiasticus: *Quam magna, inquit, qui invenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum*. Timor Dei est super omnia superposuit; Quasi diceret, quidquid magni & admirandi cogites de homine nisi voluntaria culpa vacet, quaniū quidem per Dei gratiam vacare potest, non est illi vir tantus quantus est timens Deum, qui se illo timore vel à contrahendi peccati macula continet, vel contractam quam citò potest deponit, quia puritas yit pœstat omnibus aestimandis; quan-

tumcunque sint illa pretiosa. *Omnis ponderatio, Ibid. 26.*  
at Idem, non est digna continentis anima.

Atque hanc integerissimam vitam puritatem tanti estimabat sapientissima Virgo, ut ipsi Maternitati divinæ non dubitarer eam præponesse unde si optio illi data fuisset eligendi, aut maternitatem Dei cum peccato originali, vel cum alia demum peccati macula; aut immaculatam puritatem sine maternitate Dei; maluisse pura esse sine Dei maternitate, quam mater esse sine tali puritate. Quod ex eius responsione ad Angelum, facile est colligere, quomodo fiet istud *Luc. 1.* quoniam virum non cognosco?

Nec erat alius Filius eius, Domini nostri sensus cum diceret nutranti matrem adesse: *Quia est Matt. 12.* mater mea, & qui sunt fratres mei? Vcl. cùm in *Luz. 11.* clamaati, *beatus venter qui te portavit, & ubera qua suscepisti*, responderet, *quoniam tu, beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*. Nam sic indicabat, ut interpretatur *S. Augustinus*, & alii, *beatiorum esse virginem*, & digniori titulo suam esse matrem, quod sancta esset, quam quod præcisè sua mater esset. *Nec materna*, inquit, *propinquitas Mariae profuerit, nisi felicius Christum corde*, quam carne gestasset. *L. de sancta Virg. 2. 1.*

Hoc est igitur quod profitemur hodie, cum Beatissimæ Virginis Conceptionem sine macula colimus; hoc est quod in ea colitur, purum felicitet, & immaculatum esse, quod est certè colendum. Itane vero id colis, qui quam in te agnoscis peccati maculam, non vis deponer?

Hoc quidem profiteris, sed nonne aliud agis, & aliud profiteris? Curenim peccati maculam retines; nisi aliquid in peccato tibi placeat, & quod probatum velles ab omnibus? At vero si est aliquid quod in peccato placere & probari possit, quid est quod esse absque peccato sit ita laudabile, sicut laudatur hodie in immaculata Virgine, & sicut tu ipse celebrandus profiteris?

Si de originis peccato duntaxat ageretur, si de aliquo veniali, quo vix ullus eximitur: tolerantes posset; sed cum voluntarium ipse peccatum admittas, & admissum retineas, & approbes, atque etiam ab alijs approbatum velles, ne illud deponere cogereris? hoc est profectò tam aliud & tam diversum ab eo, quod hodie profiteris in laudata Virgine, quam peccatum & non peccatum. Tu bonum & beatum profiteris in sancta Virgine, absque peccato esse; tibi autem esse in peccato bonum & beatum censes, quandoquidem in eonon remaneres, nisi tibi bonum esset. Quid illud tandem est, nisi aliud dicere

*Ecccl. 17.* dicere & agere, atque aliud profiteri? Sunt quidem aliqua bona quae probentur in uno magis, quam in alio: sed peccatum in nullo probari potest. Divitiae & honores unus cum laude contemnet, quas alius merito retinere potest; At solum est peccatum, quod nemo iure retinet, & quod nemo vere improberet, si tantillum in se probet. *Nimis odito execrationem,* Id est, quantumcunque tibi videaris eam odisse, maiori etiam habenda est odio.

## III. PUNCTUM.

*Ecccl. 17.* **PRAEVARICATOREM** igitur eum esse oportet, qui *Conceptionem sine macula colat*, cum voluntaria macula. Quia in colendo tales *Conceptionem*, videtur eam maculam detectari, quam tamen dum in se admittit aut retinet, adeo non detectatur, ut amet & approbet, sicque aliud agit, & aliud profitetur, quod est scipsum negare, & prævaricatorem constituere; atque in offendam Dei non levem incurre. Unde ipse per Prophetam Ponam, inquit, faciem meam in eos, eorum quod prævaricatores extiterint. Sic enim videtur augeri peccatum ex mente simulata & ex duplice corde, quod apparet in probando simul & improbando peccato. Unde & recte Sapientis: *Anima prævaricatorum iniqua.* Nam sic

*Prov. 13.*IN EADEM DIE,  
AD ILLVD APOCALYPSIS 21.*Non intrabit in eam aliquod coinqutatum.*

## I. PUNCTUM.

*Ephes. 5.* **P**RIMO id dicitur de cœlesti Civitate seu Beatiudine, in quam certum est nihil nisi purum & sanctum intrare: ubi maximum adimpleretur quod ait Apostolus de Christo Domino, *Qui scipsum tradidit pro Ecclesia ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.*

*Ez. 45.* **D**EINDE vero id accommodatur beatissimas Virginis, quae est *Civitas Dei de qua gloria dicitur:* Et semper dici debent, ut est in Pialmo: *Et in quam non intrabit aliquod coinqutatum*

iniquum agit, & contra Deum, & contra seipsum. Neque valet quod dicas, te non amare peccatum, cum rem ipsam ames cui annexum est peccatum. Neque etiam excusat, quod longè sit alia nostri ratio, & beatae Virginis, à qua omnem culpam removeri dignitas ejus exigit: à nobis autem nostra conditio non ita postulat. Id enim fallum est de gravioribus & voluntariis illis culpis quas sovernus, & quas sic debemus, quantumcum gratia possimus, devitare, ut nihil pertemus magis nostrum, quam, *Immaculatus nos custodire ab hoc seculo.*

*Iac. 1.*

**MEMENTOTE** istud & confundamini. Redite prævaricatores ad eorū: Nempe ut haec cogitet & *I. 46.* recogitet coram Deo, & beatissima Virgine, cui quantum vitæ Puritas placet, tam dispiceat Impuritas necessaria. Effunde quas voles preces; adorna quo velis munere, sacras ejus imagines & sacras ejus ædes: Eiunipe in ejus laudes quantumvis eximias, nihil agis ad ejus cultum, nisi puritatem vitæ quam maximè colit, & quā maximè se colendam indicat, studiosius conlecteris. Nunc ergo filii audite me, beati qui custodiunt vias meas. **BALSAMUM** non mixtum *Prov. 8.* odor meus: & flores mei, fructus honoris & honestatis. *Ecccl. 24.* Transfere ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Id est, *Immaculatae meæ Conceptioni vos conformate.*

sive originale sive actuale. *Quareatur peccatum p. 9.* illius, & non invenietur.

**DENIQUE** de eadem etiam modo id dicunt, quo sensu dicimus, intrare in animum alicuius, id est, sibi benevolum & gratiosum facere. *Sicque non intrabit in eam aliquod coinqutatum,* perinde est ac dicere, nullus coinqutatus eo virtute quo præcipue inquinatur animus, nimis impudicus, impurus, immundus, & quisquis hujusmodi est affectu & habitu, nullus intrabit in animum ejus, quidquid faciat ut sibi eam benevolam & gratiosam reddat, nihil faciet, nisi mutet mentem, & impurus esse desinat. Quod ut plenius ad proximam expendatur sic est concepta.

VERITAS

